

mitti debuerit, et eadem Ablegatio, ex parte Dominorum Hungarorum disuadetur, ex eo, quod in illorum peractam functionem extensam et in eadem comprehensam habere atque intelligi debere voluissent, attamen Domini Status et Ordines, prima et proxima occasione, qua Domini Ablegati eorum Audientiam benignam consequi poterunt, eandem peragant et effectuent, statuerunt.

A r t i c u l u s S e p t i m u s.

Solicitudine atque zelo, quo Domini Status et Ordines ad assecurandam Patriam suam, consideratis tot et tantis eiusdem praeteritis periculis, et periculosis, euenibili quo casu Interregni tempore, reuolutionibus, et praeterea ad promerendam ampliorem hoc suo facto Benignitatem atque benignum Regimen Augustissimae Domus Austriacae, cuius deficiente Masculino (quem ut Divina bonitas in omne aevum superesse et florere admitat, optant,) foeminini etiam Sexus retinendum, in eosdem Regium Jus, praerogatiua, et Jure Reginis et Regni exercendum subire cupient, eidemque se confidere, illius nimirum et talis foeminini Sexus, Augustissimi sanguinis Austriaci, qui uidelicet non modo Austriae, sed Prouinciarum etiam Styriae, Carinthiae, et Carnioliae possessionem habebit, et in modo fata Austria residebit: sinceras et unanimibus uotis moti et dispositi, statuant, declarant, et resoluunt, suosque Dominos Allegatos ad suam Sacratissimam Maiestatem Caesaream et Regiam exmittendos, in eo etiam et principaliter se instructuros decernunt, imo protinus instruunt; vt nimirum hanc eandem praefatorum Dominorum Statuum et Ordinum, motu eorum proprio, atque liberi arbitrij sensu, expressam et manifestatam resolutionem ac fiduciam Sacratissimae Caesareae et Regiae Maiestati, nomine Dominorum Statuum et Ordinum praesentent et offerant; et uicissim Sacratissimae Caesareae et Regiae Maiestatis, suorumque Augustissimorum Haeredum Gratiam, et pro tenore Clementissimarum resolutionum, promissionum, et assecurationum, Augustae reminiscentiae Austriaeorum Principum, et Regum Hungariae, publicis Diaetalibus Regni Hungariae et Partium eidem annexarum Actis, et priuatis quoque, pro parte mentionatorum Dominorum Statuum et Ordinum emanatis Testimonij insertis, benignam effectuationem, cum assecuratione Diplomatica, manutenendorum et conseruandorum horum omnium, et quae praeterea pro bono et emolumento, atque Interesse securitatis, petenda ipsis occurrerint, petere et obtinere non intermittent.

A r t i c u l u s D e c i m u s Q u a r t u s.

Ne a modo ullius Dominorum Regnicolarum, siue inquietudine animi, siue odio, in statuta et consuetudines publicas, nel etiam in ipsas Dominorum Officialium Regni et Regnicolarum personas, suscepto et continuato, aduersus Jura et Consuetudines receptas Dominorum Statuum, uel etiam ipsorum officiales, praetermissa prima Instantia, et Dominorum Statuum Notitia, ad Diaetas Regni Hungariae recursum suum facere, ibidemque promotis suis instantiis, publica et priuatorum Jura, Priuilegia, et praerogatiua, uel etiam receptas consuetudines lacessire et uiolare praesumat; Domini Status et Ordines uniuersos Regnorum horum Incolas, Jurisdictioni Banali subiectos, inhibent, inhibendoque statuant et decernunt: Ut si quisunque, et cuiuscunque Status ac conditionis, praesenti articulo contrario facto derogare praesumeret; talis eo facto